

meum, §. altera col. 2. ff. de ad. tut. Dec. conf. 21. co. 213. nn. ii. Par. conf. 87.
n. 4. vol. i. & conf. 25. n. 58. vol. 3. & tex. in l. magis, ff. de solut. Et ratio est
secundum Bal. quia Societas celebrata presupponitur cum socio pro-
pter operas ab eo ponendas. Quare sicut socius, qui operatus non fu-
set in Societate, nil petere potest sibi communicari. Ita nec hæredes cum
post mortem defunctus operari non possit. Adde, quod in Societate eli-
gitur industria personæ, quare cum hæredes non possint ex parte sua
onus patris adimplere, quia non est eadem opera, ad tradita per Oinot. in
§. soluitur. in st. de societ. num. 2. & est tex. in l. si non sortem, §. libertus, ff. de
cond. ind. consequens videtur quod in huiusmodi lucris post mortem
vnius socij factis, hæredes partem habere non possint. Vide in materia
huius restrictionis quæ dixi ego superius cap. 6. quomodo fin. societ. nn. 22.
cum seqq.

Intellige tamen hanc restrictionem nisi illud lucrum esset pretium
70 rerum forsan venditarum, vel quid simile, lucratum ex re societatis
quod defuncto competere poterat; Nam huiusmodi lucrum communi-
candum est heredibus, per d.l. actione, §. morie, & §. incertum, ff. pro socio.
& l. verum, §. in heredem, ff. eod. Verum enim uero hoc lucrum potius di-
ci potest factum viuente socio, licet eo mortuo v.g. vendatur, & ideo
hac de causa ad heredes transmittitur, per ea quæ dixi ampliatione præ-
cedenti num. 67.

Aliam restrictionem eiusdem ampliationis 18. Vide inferius hoc eod.
cap. limit. vlt. num. 141. quam intellige prout ibi.

Limita tamen primo regulam supradictam non procedere quando
71 socius, vel frater fundum communem pro indiuiso cum alio habens,
ad eo tixosus esset, ut partem suam seminare, nec colere vellet; Tunc e-
nim si alter socius vel frater facit totum fundum colere, vel seminare
fructus qui ex illo percipiuntur, non communicantur, nec etiam pro
parte dominica. Hanc limitationem elicio ex Hip. Mar. sing. 369. incip.
mille hominum species, vbi dicit ita sentire Salyc. in l. iubemus, 2. C. de sac.
sanct. eccl. gl. ibi, & Ias. in l. 1. in pe. col. C. qui test. fac. pos. & facit ad hoc, l. si
vt proponis, C. de adif. priu. cum alijs ab eod. Hip. Mar. ibid. alleg.

Limita secundo regulam non procedere in casu quo inter socios fuit
72 solummodo contracta societas vniuersorum, quæ ex quæstu & opera
descendunt; Nam hoc casu lucra solum, quæ ex industria, diligentia,
& opera lociorum quæruntur, v.g. emendo, vendendo, conducendo, &
similia faciendo communicantur, non autem ea quæ acquiruntur titu-
lo sive hereditario, sive donationis, tam inter viuos, quam causa mor-
tis, sive legati &c. Hæc enim cum ex quæstu, & opera, sive diligentia
non deriuantur, communicari itidem non debent. Casus est in l. coiri.
cum sex. ll. seqq. ff. pro socio. & faciunt, quæ dicit Alex. in conf. 64. incip. viso
themate. par. 3.

Exten-

Extende hanc limitationem secundam in quocumq; genere societa-
73 tis, quæ non sit societas omnium bonorum, in illis enim non veniunt
communicanda lucra nisi illius generis societatis, quæ contracta fuit. d.
l. cum duobus. §. cum duo, ff. pro soc. Quare si vnius rei fuit coita societas,
illius rei solum erunt lucra communicanda; si plurium negotiatio-
num, illarum negotiationum solum erunt communicanda, & sic de sin-
gulis, d. §. cum duo. Et quod talis socius non teneatur communicare
socio hæreditatem, vel legatum ipsi relictum, tenet Alex. conf. viso the-
mate, 64. part. 3. & tex. est. in l. ea verò, §. i. iunct. l. nec adiecit, ff. pro soc.

Extende secundo eamdem secundam limitationem in societate ad
74 cohabitationem, & communicationem vietus contracta; Nam ex eo
quod hæc non intelligitur coita de omnibus bonis. Alex. conf. 36. par.
4. & conf. 24. par. 1. & per Alex. in d.l. cum duobus, §. idem Papinianus, ff.
pro socio, eorumdem solummodo bonorum lucra communicantur, non
aliorum ad d.l. cum duobus, §. cum duo. ff. pro soc.

Limita tertio regulam non procedere in tacita societate, hæc enim
75 non comprehendit in communicatione nisi lucra que veniunt ex acti-
bus socialibus, non autem alia. Alex. conf. 36. par. 4. d.l. coiri, & l. duo
sunt. ff. pro socio. in fin. nisi tamen aliud dictum sit. l. 3. §. cum Speciali. ff.
pro soc.

Limita quarto regulam in re empta à fratre vel ab uno ex socij qui
76 non sit socius omnium bonorum; Nam quod hæc non communicetur
cum alijs facit tex. in l. si quis societatem. & ibi Bal. & communiter DD. &
gl. sup. verb. coierit, ff. pro soc. & l. si patrius, C. com. vtr. ind. Et ratio huius
limitationis esse potest, tum quia frater nihil acquirit fratri absenti ni-
77 si pro eo expresse acceptet etiam actum. Pan. de Castr. conf. 72. Cy. in au-
th. Sacramenta, q. 1 o. C. si aduer. ven. B. ir. in l. 1. 3. & 6. C. de conf. Tum e-
78 tiam quia quæ situm extra causam societatis per vnum ex socijs com-
municari non debet, l. cum duob. §. cum duo, ff. pro soc. & dicam ego inf. hoc
eod. cap. limitat. vlt. num. 141.

Extende hanc quartam limitationem in feudo: frater enim emens
79 feudum etiam cum pecunia alterius sibi soli acquirit. Bertach. in suo re-
per. littera F. par. 2. fol. mihi 402. col. 2. Nec obstat quod not. in c. 1. §. sin au-
tem. Qui feu. da. pos. & Bal. & Pe. de Su. in l. 1. C. res in alien. vbi feudum ex
contractu fratris fratri acquiritur; Nam hoc procedere potest in fratri-
bus qui sint socij omnium bonorum, secus in alijs.

Sublimita tamen eamdem quartam limitationem, quando frater e-
80 misset animo contrahendæ societatis cum fratribus, nam tunc fratri etiā
acquirit. Raph. in l. reos. in prin. de duob. reis. Alex. in l. 1. ff. pro socio.

Sublimita secundo supradictam quartam limitationem quando so-
81 cius qui emit, eset socius vniuersorum quæ ex quæstu descendunt, si
tamen animo vendendi & lucrificiendi emerit; Nam tunc emptum ab

H 4 illo

illo communicare debet. l. coiri, ff. pro socio, & Paph. ful. in l. si quis societatem, ff. eod. secus si socius animo retinendi emerit, nam eo casu ex eo quod non dicitur quæstos, quia si socius habet rem, soluit etiam premium quod rei correspondet. l. curabit de act. emp. nec communicandura erit emptum, tamquam extra societatem acquisitum. l. cum duobus, §. cum duo, ff. pro soc.

Sublimata tertio eamdem quartam limitationem quando talis so-
cius communis nomine emeret; Nam tunc debet communicare em-
ptum adhibita declaratione de qua supra hoc eod. cap. ampliat. 7. nu. 14.
per iura optima à me ibid. tradita; secus autem si nomine proprio emerit
83 (prout in dubio nomine proprio emissio presumitur ad tradita in fra-
tre per Bal. in l. qui ex aliena, C. si quis al. vel sib.) nam tunc communicari
non debet nisi in casu quod animo lucrificiandi socius emerit, pereat
quæ dixi in præcedenti quarta limitatione num. 81.

In hoc tamen Petrus de V baldis in suo tractat. de duob. fratr. docet quo-
modo cognoscatur quando socius nomine communi, vel proprio emerit,
quæ quoniam pulchra sunt, hic transcribere non erubui: Dicit igitur si dubitatur an communi nomine emptum sit, tunc videndum est
instrumentum, si quod est, & si actum erat inter eos quod communi
nomine socius emerit, communi nomine presumitur emissio, l. 3. §. si ab
ignoto, ff. de manum. Et si non sunt instrumenta videndus est liber ratio-
num, prout in facti contingentia fecit Bartolus, qui ex eo quod in illo li-
bro legebatur: Hic est liber rationum mercantia Ioannis Petri & fratribus:
dixit apparere quod nomine communi faciebat mercantiam, l. nesennius,
ff. de neg. gest. & propterea emptum esse communicandum. Si deniq;
nec nullum instrumentum nec nullus liber esset, tunc inspicienda est con-
suetudo, ita ut si fuerit consuetudo, ut nomine communi emerit.
Tunc licet pro se clam emerit socius communi nomine intelligitur
ar. l. vel vniuersorum, ff. de pig. actio. & communicari debet emptum con-
suetudo enim seruanda est, l. licet vniuersorum, ff. de pig. act. & ratione
consuetudinis, videtur contracta societas iuxta consuetudinem, per actus
sociales tacite, ut patet in 2. cap. per tot. Quod si nulla super his adesset
consuetudo, nec constaret an lucrificiandi causa, vel retinendi socius
emerit, tunc ad conjecturas recurrentum est, & ex qualitate rerum em-
ptarum, & socij ementis suo nomine, bonus vir poterit arbitrari: in
85 his enim quæ ab animo dependent conjectura valde operantur, l. si cum
aurum, ff. de solut. & d. l. nesennius, ff. de neg. gest. cum simil. Hæc paucis mu-
tatis scripsit Petrus de V baldis. sed in hoc Inno. in c. dilecta, de excessib. pral.
voluit quod in dubio socium presumatur communi nomine.

Limita sexto regulam non procedere, quando socius cuiuscumq; ge-
neris societatis sit socius, rem emit de propria pecunia, prout in dubio
presumitur fecisse. Lud. Ro. sing. 440, vbi dicit in dubio presumi quem
emisse

emisse de propria pecunia, non solum quando nomine proprio emerit,
verum etiam quando nomine communi, & dicit casum esse singularem,
de quo Bart. ibi gaudet. in l. 2. C. pro soc. & id. Rom. conf. 3. viso. vers. item
hoc. & Alex. conf. 78. incip. discuss. lib. 2. & in nostris terminis est tex. in l. si
defunctus, & Bal in l. qui ex aliena, C. si quis al. vel sib. vbi dicit quod si non
apparet cuius fuerit pecunia, presumitur propria, nisi ex conjecturis
aliud constet; Ad quod optimè etiam quadrat tex. in l. si defunctus, ff. de
87 arb. tut. & l. si ventri. in si. ff. de priu. cred. quare hoc casu res cōsocio com-
municari non debet, l. si patruus, C. com. vtr. iud. etiam si socius nomine
communi emerit. Bart. in l. 2. C. pro soc. vbi frater socius emens rem de
propria pecunia nomine communi, vel illam sibi habet præcipuam, vel
partem pretij repetit à fratre.

Restringe tamen hanc sextam limitationem, & presumi de pecunia
88 propria emissio, quando pro se tantum socius emit; Nam quando pro
se & socijs, & sic nomine communi, emerit, potius de pecunia communi
emisse presumitur, quam de pecunia propria. Bertach. par. 2. sui re-
pert. littera F. fol. mihi 403. col. 3. Ver. frater socius, per l. si patruus, C. com.
89 vtr. iud. Vnde emptum communicandum esse videtur; emens enim de
communi pecunia tenet ut fratri socio emptum communicare secundum
Bal. in l. cum oportet. in pr. col. 2. C. de bon. quæ lib. adhibita tamen declara-
tione de qua hoc eod. cap. supra ampliat. 7. num. 14. habito respectu quod
nomine communi emerit.

In contrarium tamen quod scilicet presumatur pecunia propria etiā
90 si nomine communi emeretur, faciunt quæ superius dixi secundum Rom.
d. sing. 440. & casus est secundum Bart. & Bal. in l. cum proponas. C. pro soc.
vide illum textum, & vide Baldum in l. restituenda, C. de pet. hered. & vide
Bar. in l. testator. S. quatuor, ff. de leg. 3. & vide quæ dixi superius hoc eod. cap.
ampliatione 8. vers. restringe. num. 2. vbi hanc communiorum dixi.

Extende supradictam sextam limitationem procedere etiamsi de
communi pecunia socius emisset; Nam si proprio nomine hoc fecit,
91 emens sibi soli querit Dominum rei, non socio, l. qui ex aliena, C. si quis
al. vel sib. & ibi Bald. & plenius loquitur idem Bald. in l. prima, eodem ti-
tu. vbi dicit quod tunc tenetur ad restitutionem pecunia, vel tenetur
actione pro socio, communicate socio, vel fratri, rem emptam; & est
tex. in d. l. si patruus, & l. si vnu, s. si vnu, ff. pro socio. & ibi Bal. vbi per il-
lum textum dicit decisum fuisse, quod si etiam de communi pecunia
emptum fuerit, non tenetur alteri socio communicare, si proprio no-
mine emerit, licet alteri socio ad interesse teneatur, ut sentit ibi glos.
quam tene menti. Et faciunt ad hoc tradita per Franc. Vnu. com. opin. lib. 1.
opin. 252. num. 1. vbi per l. si ea, C. de rei vend. & per glos. in c. inquirendum,
de pec. cler. dicit quod res empta proprio nomine, etiamsi de pecunia
aliena empta esset, fit ipsius ementis, & ei acquiritur, non autem illi
cuius

cuius est pecunia : Et nu. 2. subiungit id. Fran. Viu. hoc fallere solum in re empta cum pecunia ecclesie, militis, vniuersitatis, & minoris, quo casu rem emptam fieri illorum quorum est pecunia tenet, & quamplurimis citatis, de communi testatur.

Intellige tamen hanc extensionem primò non procedere quando so-
cius vel frater qui nomine proprio emit, rem emptam postea in com-
muni astimo poneret, idest in libro nomine suo & consocij confessio;
Nam tunc communicari debet, quia utique acquiritur. Bart. in l. rupta.
C. de omn. agr. de ser. lib. i. 1. & Pet. de Perus. in tract. societ. par. 4. col. 12.

Intellige secundo eamdem extensionem quando ille de cuius pecu-
nia fuit empta res, & prætendit illam sibi tradi esset maior ; Nam si mi-
nor, & emens rem esset tutor vel curator, tunc res empta sit minoris, li-
cet proprio nomine tutor emisset ; faciunt tradita per Franc. Viu. opin.
com. 25. 2. num. 2. vbi de communi testatur, & est tex. in l. 2. ff. quand. ex
fac. tut. & l. curator, ff. arb. tut. Hoc enim officij necessitas, & pecuniae pro-
prietas operantur. Bal. in l. si vt proponas, C. de rei vend. secus autem esset
si emptor esset extraneus. Nam tunc ex eo quod non representabat ip-
sum minorem, res non efficitur minoris, nisi tribus concurrentibus
secundam Bal. in d. l. si vt proponas, nempe. Quod sit minor : quod de pe-
cunia minoris vel communi empta res fuerit : & in subsidium : idest si
emptor non haberet unde restitueret pecuniam minoris vel commu-
nem de quam emit rem l. filia, ff. de solut. & videt. tradere Bal. & Bart. in l.
vt proponas, C. de rei vendic. De materia huius limitationis sextæ vide
95 Alex. conf. 68. par. 2. & conf. 36. & 37. part. 4. vbi præsertim hanc dicit
veram, nisi emptor esset socius omnium bonorum vel esset tutor, vel
socius fratris Pupilli, vel nepotis minoris ; vel denique emptio esset fa-
& a per unum altero ignorantie, quia dictis casibus res empta est com-
municanda omnibus ; & hoc etiam affirmat Ang. conf. inc. Raynutius. 171.
& conf. incip. filius. 12. 1. & Bal. in l. 1. C. si quis al. vel sib. & in l. cum oportet.
in pri. C. de bon. qua lib. & Pet. de Anch. conf. 133. & conf. 234. & Alex.
conf. 49. part. 1. vbi loquitur de Patruo & Nepote. Benè tamen verum
96 est quod emens rem, antequam actione pro socio conueniatur, eam te-
gare potest vel vendere, & transfert dominium. Bal. in d. l. 1. Bart. plen-
in l. si patruus, C. com. vir. iud. & B. l. in l. restituenda, C. de pet. bæred.

Limita septima regulam non procedere quando socius contradicte-
97 socio, ne vadat ad certum locum pro re societatis ; Nam si iste accedit
ad illum locum, suo periculo accedit, & si lucratus est, socius contradic-
tens partem illius lucri habere non debet. Alex. in l. in his, §. mancipia,
per illum tex. ff. sol. matrim. Bar. in l. quia poterat. in fi. ff. ad Trebel. & ia.
Alex. in d. l. quia poterat. in l. col. in fi. vers. item nota, & Ang. & Imol. in l.
postulantem, §. sed se huiusmodi, ff. sol. mat. Bal. in add. ad tract. Bart. de duob.
frat. & Ang. Aret. inst. de societ. §. illud. in fin. secundum Bart. Dyn. Raph.
Ang.

Ang. & Iol. de Imol. per illum tex. & por. tex. in d. l. quia poterat, & facil. si
vnu. §. si quid, ff. pro socio, & l. si mancipia. ff. de reg. iur. dot. & l. pe. §. eman-
cipia, ff. sol. mat.

Limita octauo regulam non procedere in illico lucro, idest in acqui-
98 sitione ex delicto (tale enim lucrum, propriæ lucrum appellari potest Bal.
in l. 1. C. si quid in frau. pa.) Hoc inquam, quod inter socios non commu-
nicetur est tex. in l. quod autem ex furto, ff. pro socio, Capit. dec. 180. num. 18.
99 Io. Lup. in repet. per vestras, in rubr. ac donat. int. vir. & rro. §. 65. num. 13.
& Ferrar. in for. libel. cap. 1. n. 4. in causa Societ. Vbi dicit, quod abhorruit
lex, quæ sita ex turpi causa venire in actione pro socio, sicut, & alibi non
veniunt in actione mandati, l. si remunerandi, §. si turpis. ff. mand. nec si
militer veniunt in actione communis diuidendo, §. inter prædones, ff. com.
diu. nec in actis ex stipulatu, l. generaliter, & l. si plagijs, ff. de verb. oblig.
ista Ferrar. loc. citat. qui n. 5. hoc infert ad duo saepius occurrentia. Vide
super hoc Ang. conf. 81. & tradit post Bal. Guliel. Mayn. de reg. iur. l. quod
quis, n. 2. vbi lucrum, quod socius omnium bonorum consequitur ex suo
delicto non tenetur conferre Societati, & n. 3. ponit rationem, & l. au-
toritatibus hoc corroboratur. Imò communicatum sponte, trahit secum
100 periculum condemnationis, quia qui percipit lucrum illicitum à socio
scienter, videtur se adstringere non solum ad lucrum restituendum,
verum etiam ad pénam, l. si situr, ff. pro socio. Et ratio esse potest, quia
101 lucrum debet esse sine dolo, Glos. in l. si negotia, ff. de neg. gest. & not. in l.
1. ff. de eo, per quem fact. &c.

Extende octauam hanc limitationem in luctis etiam acquisitis per
102 prauitatem usuriam; Hæc enim nec communicanda veniunt, Ferrar.
in for. libel. quem refert, & sequitur Oinot. inst. de Societ. in prin. n. 4. circ. si.
103 Vbi hanc dicit esse rationem, quia usuræ de iure Diuino, & Canonico
prohibitæ sunt, & graues pœnae contra usurarius statutæ, cit. cap. quia in
omnibus, 3. & per tot. iit. ext. de usur. & idem probat Franc. Viu. lib. 1. comm.
opin. opin. 314. n. 2. vbi loquitur in fratre, & tenet, quod post mortem pa-
tris lucra per prauitatem usuriam quæ sita nō teneatur fratribus con-
ferre, & de communi testatur. Vide de hoc usurario lucro eumdem Gu-
liel. Mayn. d. l. quod quis, de reg. iur. n. 3. vbi post Alber. in d. l. quod autem;
hanc materiam declarat.

Extende secundo eamdem octauam limitationem in Societate illici-
104 ta, vt est illa quam faciunt Prædones; Nam tunc lucrum in tali illicita
Societate quæ situm non communicatur, imò nec communicatum sponte,
transire facit periculum, quia abhorruit lex, quod quæ sita ex illicita So-
cietate veniant in actione pro socio, l. nec prætermittendum, ff. pro socio.
& Bal. ibi.

Extende tertio hanc octauam limitationem procedere etiam in que-
105 sitis in ludo; Nam ex eo, quod ista ex turpi quæ situ, & ex illicita cauſa
acqui-

acquisita censeantur, ut per Alex. conf. 77. vol. 5. in fin. & per Rom. & Bal. in auth. ex testamento C. de collat. quos refert, & sequitur Franc. Vnu. com. opin. lib. 1. op. 314. n. 3. nec communicanda esse tenendum videtur, per d. l. quod autem, ff. pro soc.

Extende 4. eādem limitationem octauam in lucro sub prætextu bō 106 ni Christiani fāto, scilicet, ab hypocrita; Nam hoc tamquam illici-
tum communicari non debet, et si communicatum fuerit, deducitur; &
restituitur pauperibus, non his, qui dederunt, Innoc. in c. quia plerique de
im. Eccl. per c. fin. 14. quæst. 6. quem refert Ioh. Bertach. in suo reper. par. 3.
litera L, ver. lucrum hypocitarum, & dicit hoc notandum esse contra
Cerretanos, & Biantes.

Extende quinto limitationem supradictam, etiam si huiusmodi lu-
107 cra illicita fuerint communicata cum socio; Nam potest socius illa
communicans de Societate deducere, si fuerit condemnatus ad illa re-
stituenda. Guliel. Mayn. in d. l. quod quis n. 2. de reg. iur. Et an restituantur
108 lucra usuriorum, officialium, meretricum, & Aduocatorum, vide gl.
& ibi Archid. in c. qui venato. 86. dif. & Abb. post Innoc. in d. c. quia plerique
de imm. Eccl.

Limita 9. regulā non procedere in partuis lucris; Hæc enim non tene-
109 tur socius cōmunicare cōsocio, Bar. in l. Titiū, §. altero, ff. de ad. tut. in fin.

Limita decimo regulam, nec etiam procedere in rebus ab altero so-
110 ciorum casu, vel fortuna inuentis; hæc enim non communicantur, sed
propria sunt inuentoris, secundum Cyn. in l. tamdiu in fin. C. pro soc. Et hoc
verum esse etiam si Societas fuerint occasio illius lucri, voluit Armill.
verb. societas, num. 12. vbi socius non communicat lapidem pretiosum
inuentum, dum ibat ad merces v.g. emendas pro Societate.

Sublimita tamen hanc decimam limitationem quando socij inter
111 quos disceptatur sint socij omnium bonorum, nam cum hi conferant
omnia vnde cumque, & qualitercumque quæsita (præter ea, quæ ex
delicto quæruntur) l. tertia, §. cum specialiter, & l. cum duobus, §. socium
vniuersorum, ff. pro soc. inuentum etiam per ipsos communicari debet.
Hanc nihilominus sublimitationem intellige si tale inuentum fie-
bat occupantis, puta, quia erat thesaurus, qui pro parte inuento-
ris fit, §. thesaurus, inst. de rerum diuis. vel etiam gemmæ inuenta,
& apprehensæ in litore maris, §. lapilli, inst. de rerum diuis. & ibi DD. hu-
ijsmodi enim res ex eo, quia non fuerunt in alicuius bonis, l. 1. ff. de acq.
posse. nil mirum, quod occupanti concedantur, per reg. §. fera. inst. de
rerum diuis. secus autem si inuentum occupantis non efficiebatur, quia
erat alterius, &c. Nam ex eo, quod non communicentur, quæ socij non
sunt, vulg. iur. tale inuentum hoc casu communicari non poterit. Imò si
inuentor hoc sibi appropriaret, delinqueret, l. cum quærebatur C. vnde vi.
Quare nec hac de causa illud communicare ei licitum erit per l. quod au-
tem

item ff. pro soc. vbi communicari non possunt, quæ ex delicto quæruntur.

Sublimita secundo eamdem decimam limitationem non habere lo-
112 cum in Colono. Nam si ipse arans repetit in fundo thesaurum, lucra-
tur dimidiam, alteram verò debet domino fundi restituere, l. 1. ad fi. C.
de thesaur. lib. 10. & Bertach. in 1. par. ssi reper. ver. Colonus, ver. 58.

Sublimita tertio decimam limitationem supradictam in socij iti.e-
113 ris; Nam altero eorum aliquid inueniente, inter eos inuentum com-
municari debet, arg. l. 3. & ibi Cyn. C. pro socio.

Limita 11. regulam locum non habere in lucris, quæ alter ex fratri-
114 bus socijs acquirit ab aliqua communitate ex officijs; Hæc enim com-
municare non tenetur socius, vel frater acquirens, Spec. de ind. §. vers.
quid si alter. & Bertach. reper. par. 2. vers. frater socius, fol. 40. col. 2. in fin.

Et ratio est, quia tale lucrum, quod frater ex suis laboribus lucratus fuit
115 vel potest esse peculium aduentitium, vt l. cum oportet, C. de bon. quælib.
& §. quod autem ex alia. inst. Per quas pers. vel potest esse peculium quasi

116 Castrense, ex publico in officijs illud acquirēdo, l. si. C. de inof. iest. & l.
veluti, C. de assē. & l. fori. C. de ad diu. ind. G pro peculio aduentitio usur-

117 petur, non confertur fratribus, l. fin. & ibi DD. & Bal. C. de collat. si vero
pro peculio quasi Castrense, cum tale peculium ad instar Castrensis re-
118 ductum fuerit, Spec. de att. ver. item, quod est filius, nec similiter fratri-
119 bus confertur, id. Bal. & DD. in d. l. fin. C. de collat. & tex. est. in l. 1. §. sed
nec castrense ff. de coll.

Extende hanc vnde decimam limitationem procedere etiam si fratres
120 paternam. hæreditatem indiuisam tenerent: Nam si ex officij quæsita
in communi redigere deberent, esset contra tex. in l. cum duobus, §. si fra-
tres, ff. pro socio.

Extende secundo eamdem vnde decimam limitationem etiam si iste fra-
121 ter tale officium gesserit, vel pro se ipso, vel ut substitutus alterius fra-
tris induci, sed inhabilis ad illud. Hoc enim etiam casu iste substitutus
littera ex illo officio percepta communicare alteri non tenetur, Spec. in tit.
de iustic. lib. 4. §. sequitur, vers. quid si alter, n. 18. qui citat l. veluti Castrense,
C. de assē. l. for. C. de ad. diu. ind. & probatur in l. Titio, ff. ad municip. Hoc
etiam post haec scripta vidi tenuisse Pet. de Ubal. tract. de duob. frat. par. 5.
quæst. 11. vbi dicit rationem esse, quia imperitia fratris substituto obesi-
122 se non debet, per l. 2. §. fratr. ff. si quis al. te. prohib. & l. de pupilo, §. si plu-
rium, ff. de non. op. nunc. Hoc tamen intellige nisi pactum interuenerit
de communicando lucro, l. cum duobus, §. cum papinianus, & §. si fratres.
ff. pro socio, vel nisi essent socij omnium bonorum, ad iura vulg.

Limita 12. regulam in casu, quo alter ex socijs, qui cum promisisset
123 ponere in Societate tercentum, & socio ponenti operas dare lucrum de
centum, sibi reliqua retinendo, promissa deinde non adimpleisset, sed
v.g. in Societate centum tantummodo posuisset; Tunc enim lucrum de
illis

illis centum positis in Societate non communicabitur inter socios, sed totum erit socij ponentis operas, iuxta conuentionem, formam, & patrum inter socios initum. Et ratio est, quia conuentio facta in Societate de partibus lucri, & damni seruanda est. Oinot. per tex. ibi in prin. tit. de soc. lib. 3. in finit. & hoc repetit. in §. de illa eo. tit. n. 1. & est tex. in l. si non fuerint ff. pro soc. c. 1. & 3. de pact. & l. 1. §. si conuenient. ff. depositi, & facit l. 1. 125 ff. de pact. l. iuris gentiū. §. Prator ait, ff. de pact. in quibus iurium locis parata esse seruanda traditur, quod etiam tuetur. Spec. de salar. §. 3. vers. quid ergo si litigato, & de fruct. & interes. §. 3. Quare cum in ista Societate patrum fuit, & expressè conuentum inter socios, ut ponens operas lucrum haberet de centum, tale lucrum nullo praetextu poterit ab eo auferri. Ista consului dum eram Vicarius in Ciuitate Triuenti in Regno Neapolitano, & obtinui in causa.

Nec obstat si dicatur tunc solum pacta esse seruanda si aliquid noui, 126 & insoliti non accidat. And. Alci. col. 157. & alij, quos refert, Bertach. in suo reper. par. 4. litera P. vers. 4. Vnde in nostro casu, cum quid noui accidat, nimis deficiencia capitalis, videtur tale pactum seruandum non esse, sed lucrum perceptum de illis centum communicandum.

Sed respondeo, si deficit capitalis, hoc non evenit ex causa socij ponentis operas, sed solum ex illo, quidebat ponere tercentum, & non posuit nisi centum: quare cum per ponentem operas non steterit quin eam operam non ponere etiam ad tercentum promissa, verius est, quod pactum de tribuendo lucrum de centum seruetur, & consocio tale lucrum non communicetur, vel saltem, quod ponens pecuniam, ex quo non seruauit promissa, teneatur arbitrio boni viri ad interesse, l. stipulationes non diuiduntur, §. celsus, ff. de verb. ob.

127 Non obstat 2. tex. in l. 5. in prin. ff. pro soc. cum simil. vbi traditur, quod in Societate generaliter pars lucri attribuenda sit pecunia; imò hoc naturali æquitate consonum esse videtur; Nam alias ponens operas lucratur cum alterius iactura, quod est contra tex. in l. nam hac ff. de cond. ind. Non obstat inquam, nam procedunt iura predicta, quando in Societate non interueniret conuentio facta expressè modo predicto.

Sublimita tamen duodecimam hanc limitationem in casu quo isti 128 socij non conuenissent expressè de dando ponenti operas lucrum de centum (vt casum superiorius posui) sed v. g. conuenissent genericè de ei dando tertiam partem lucri, relictis duabus partibus ponente pecuniam; Nam hoc casu communicatur lucrum, & diuiditur secundum, quod est conuentum idest, per quotas, non obstante, quod promittens ponere tercentum, posuisset tatummodo centum, Ita Pet. de Vbal. tract. de duob. frat. par. 5. quaest. 19. Vbi tamen voluit, quod ponens pecuniam, ex quo non seruauit promissa ponendi tercentum, & fuit in causa, quod ponens operas tamen lucrari non potuisset, quantum fuisse lucratus si tercen-

tercentum posuisset, teneatur ad interesse arbitrio boni viri ponentia operas, per quem non stetit quin eam operam non ponere ad tercentum promissa, citat. tex. in l. Stipulationes non diuiduntur, §. celsus, ff. de ver. oblig.

Limita 13. regulam non procedere in rebus donatis socio à Principe vel ab alio; Nam tale lucrum socius communicare alteri non tenetur. Bart. in l. socius, §. socius ad fin. ff. pro soc. Alex. conf. 36. par. 4. & Bal. in l. cum oportet. in pri. C. de bon. qualib. quod intellige nisi sint socij omnium bonorum, nam hi omnia comunicant, etiam quæ titulo donationis acquituntur. I. ea vero, §. cum specialiter, ff. pro soc. cum alijs à me civatis supra hoc eod. cap. ampliatione l. num. 3.

Extende hanc decimam tertiam limitationem etiam quando socio donatum fuerit aliquid ab eo ad quem ipse accessit contractandi causa de re societatis. Nam hoc quoq; casa, si donatio non fuerit facta contemplatione societatis, sed solum potius contemplatione illius socij, tale donum communicandum non erit consocio. facit l. socium qui in eo, §. socius cum, ff. pro socio, & faciunt dicta per Specul. in titulo de iudicis. lib. 4. §. 130 sequitur, vers. quid si isti. nu. 15. secus si facta fuerit donatio contemplatione societatis. Nam tunc quod donum communicari debeat consocio, est glos. magna. in l. secundum iulianum, ff. pro soc. & faciunt quæ dixit in fratribus, Specul. d. tit. de iud. lib. 4. §. sequitur, num. 15. per l. hic queritur, §. 1. ff. de pecul. cum simil. In hoc itaq; ego opinior consideranda esse qualitatem doni, ita ut si illud conueniat societati, contemplatione societatis donatum esse iudicetur, si vero conueniat illi cui fuit donatum, contemplatione ipsius tantum donatum dicatur. Ita etiam sentit Pet. de Vbal. de Perus. in tract. de duob. frat.

Limita 14. regulam in Clerico; lucra enim per illum acquisita non redacta sunt ad instar peculij quasi Castrensis, quæ non communicantur, per iura superius adducta hoc cap. limit. 11. num. 119. & hanc sententiam videtur tenere B. il. in l. Sacrosancta, C. de epis. & vide quæ dixi superius cap. 3. ampl. 7. num. . . . & vide quæ de Clerico dixit Pet. de Perus. d. tractat. part. 11. quæ est. 3. 4. circ. med. qui multa & pulcherrima congerit. 132 Dicerem tamen ego quod ista lucra quæ sunt à Clerico & fratribus vna communiter viuentibus, & fructus qui ab eis recipiuntur communicari debere saltem pro necessitate victus tantum, & non abinde supra, sed esse ultra necessitatem victus precipua cuiuscumq; secundum B. il. in c. 1. de duob. frat. de no. be. inues. in vs. feud. & vide Ang. in l. si. C. de coll. & Bart. in conf. Bitonienfis.

Limita ultimo regulam non procedere il lucro quod lucratus fuerit 133 socius extra rem societatis; Nam quod hoc non communicetur, tex. est valde bonus in l. cum duobus, §. cum duo ff. pro socio.

Extende hanc ultimam limitationem procedere non solum in socijs ipsis,

ipsis, sed etiam in eorum heredibus, quando scilicet aliquid extra rem societatis lucratii fuerint, utputa premium rerum societatis venditarum in aliam negociancem conuertentes, & ex illa lucrum aliquod capientes; Nam tale lucrum proprium est dictorum heredum, & non communicatur, l. titium, §. altera, ff. de ad. iur. & l. socium, §. post mortem, ff. pro soc. quod intellige nisi inter socios defuncti, & illius heredes expressè vel tacite inita esset noua societas; Nam hoc casu quia lucrum esset de re societatis communicari deberet, l. planè, §. sibi. ff. pro socio.

Sublimita tamen eadem ultimam limitationem quando nomine
13 communis socius emeret; Nam tunc etiamsi extra rem emeret, societatis, emptum communicatur, adhibita declaratione de qua supra numero 14.

ARGUMENTVM.

Lucri & damni partes inter socios debent esse æquales,
quomodo hoc intelligatur, & quibus casibus procedat.

SUMMARIUM.

- 1 Partes damni & lucri in societate debent esse æquales.
- 2 Societas habet vinculum fraternitatis.
- 3 Frater debet naturaliter procurare commodum fratris.
- 4 Partes lucri & damni debent esse æquales, iuxta quantitatem capitalis, licet capitale sit inæquale.
- 5 Qui de industria & opera plus ponit, plus de lucro percipere debet, sicut qui maiorem ponit pecuniam.
- 6 Pactum quod unus ex socijs totum lucrum sentiat non valet.
- 7 In societa animalium conditio est ut socij ex aequo participent lucrum & damnum.
- 8 Fallit quando alter esset pactum, vel alter esset consuetudo.
- 9 Semper actum intelligitur inter socios quod solitum est fieri.
- 10 Aequales debent esse partes lucri & damni, etiam quando unus posuit in societate pecuniam, alter operas, & quando hoc verum sit.
- 11 Ponitur opinio Pisanello circa divisionem inter socios; & confutatur.
- 12 In divisione deducitur capitale, deinde quod superest æquiter inter socios diuiditur.
- 13 Ponitur distinctione Armilla circa divisionem lucri, & capitalis.
- 14 Damnum capitalis inter ponentem pecuniam et ponentem operas æquale debet esse.

15 Fallit

- 15 Fallit quando opera unius, correspondunt nedum interusurio pecuniae, rerum etiam sorti principali.
- 16 Opera quando correspondent sorti principali quasi capitale reputantur.
- 17 In societa conditio est Ut animalia sint solum periculo eius qui ea dat in societatem; & num. seqq. an hoc semper sic verum.
- 18 In societa, animalia periculo sunt viriusq; quando dantur, eo pacto ut sine communia, & diuidantur cum fructibus.
- 19 Item quando culpa socij vel dolo animalia perierunt.
- 20 Item quando animalia dantur estimata.
- 21 Item quando pactum appositum fuit, ut is cui dantur animalia ea suscipiat suo periculo.
- 22 Fratres, vel Patrui & Nepotes socialiter viuentes, res emptas æquiter diuidere debent in capita.
- 23 Massaritia & suppellectilia societatis æquiter inter socios sunt diuidendum.
- 24 Capitale quando non fuerit æquale, arbitrio boni viri facienda erit diuisio.
- 25 Pactum quod socius qui minorem portionem in societate contulit, æqualem habeat lucri partem, ac ille qui maiorem portionem impedit, non valet.
- 26 Fallit in societate in qua unus ponit pecuniam alter operam, & redditur ratio.
- 27 Si alter ex socijs vel fratribus socialiter viuentibus haberet filios qui operarentur lucrum non diuidiur æquiter inter socios vel fratres, sed diuiditur in capita inter omnes, ita ut plus lucri habeat socius habens filios, quæ alter & diuisio quomodo facienda mortuo Patre, quando aliqui eius filii multa lucrabantur, alij vero nihil, remissiud.
- 28 Ampliatur, hoc etiam si dicti filii essent impuberes, ipsorum enim & aliquæ opera esse possunt. fallit in infantibus, ut num. 30.
- 29 In societate qui plus de opere ponit, plus de lucro percipit.
- 30 Infantium nulla est opera.
- 31 Admittuntur fæminæ ligonizantes simul cum masculis, ad lucrum laborij.
- 32 Uxor tenetur præstare marito operas obsequiales, non industrielles.
- 33 Mulier non præstans operas obsequiales, compensare debet fructus laborij facili cum alimentis recepiis.
- 34 Mulier cogi potest ad præstandas operas obsequiales.
- 35 Operæ, premium & estimationem recipere possunt.
- 36 Fructus percepti è re conducta quomodo diuidantur.
- 37 Fructus rerum communium quomodo diuidantur.
- 38 Lucrum factum cum bobus communibus quomodo diuidendum sit.
- 39 Damnum & periculum inæquale est, quando in societate unus ponit pecuniam, alter operam.
- 40 In quævis per fratrem cum pecunia Patris, partes non erunt æquales; & traditur quomodo in hoc casu diuisio sic facienda.
- 41 Damnum quod contingit in animalibus ad laborandum colono datis, æquiter

I ter

- ter non diuiditur inter colonum & Dominum. Quod tamen tribus modis li-
mitatur.
- 42 Lucrum & damnum diuiditur secundum quod conuentum fuit, & quomodo
hoc procedat declaratur.
- 43 In qualibet societate pacisci potest de parte lucri & damni.
- 44 Valeat pactum in societate ut ponens pecuniam certam partem habeat lucri,
licet, nullum sit lucrum.
- 45 Pactum valet in societate, ut ponens pecuniam sentiat totum damnum, &
lucrum sit commune, & secundum hoc pactum facienda erit diuisio.
- 46 Pactum quod damnum capitalis sit solum ponentis operas, & quod capitale
saluum ponenti restituatur, non valet, & est usurarium.
- 47 Non valet tale pactum quod capitale unius sit saluum, etiam in societate in
qua socij æqualiter pecuniam posuerunt.
- 48 Anima ceteris rebus est preferenda.
- 49 Pacisci non potest quod nec pars capitalis salua remaneat.
- 50 In soccita animalium pacisci non potest de capitali saluo.
- 51 Contrarium ponitur; & conciliatur.
- 52 Sors principalis non diuiditur, sed tota, si integra permanferit, restituitur so-
cio qui illam posuit & num. 59. contrarium gl. sententia ponitur, & refu-
tatur cum distinctione.
- 53 In soccida animalium Vaccæ remanent præcipue Domino, fructus autem ea-
rum diuiduntur æqualiter.
- 54 Societas committitur in fructibus fundi cù Colono, et fundus remanet Domino.
- 55 Damnum sortis principalis non diuiditur inter socios, quorum unus posuerit
pecuniam, alter operas; sed totum est socij ponentis pecuniam. Quid autem
dicendum sit quando conuentum fuerit quod etiam ponens operas sentiat
damnum illius sortis principalis, traditum remissum.
- 56 Diuisio sortis principalis æqualis esse debet, quando socij pacti fuissent inter
eos, ut finita societate sors principalis æqualiter diuidatur.
- 57 Item quando hoc requirit consuetudo.
- 58 Item quando pactum adiectum fuerit quod periculum pecunia sit commune,
tacite enim hoc casu actum intelligitur, ut etiam ipsa pecunia principalis
sit communis.
- 60 Capitale de consuetudine non communicatur.
- 61 Diuisio fructuum æqualis esse non debet quando plures sunt socij vel fratres,
quorum unus separatim ponit lucra, alij vero agros laborant. Et ibi qua-
liter sit facienda diuisio.
- 62 Diuisio damni & lucri æqualis non fit, quando alter eorum societati renun-
ciaret malitiosa.
- 63 Item quando renuntiaret ante tempus.
- 64 Damnum quod evenit ex noua socij negociatione ipsi socio attribuitur, non
societati.

- 65 Equalis diuisio non erit quando socius societatem absenti renunciat.
- 66 Fratres & soci omnium bonorum, qui clam emunt possessionem, vel aliquid
aliud, tacite videntur renunciare societati. Et ibi quomodo inter se diuide-
re debent, traditur.

C A P V T V N D E C I M V M.

De diuisione.

Damnum & lucrum esse communicandum dixi hucusq; supe-
rioribus capitibus: & modò quomodo partes damni & lucri
sint facienda inter socios, hic Deo dante subnectam.

Sit itaq; in hoc cap. regula quod partes damni & lucri debeant inter
socios esse æquales: Hanc probat Imperator & Doctores in titu. inst. de
societ. in prin. & Armil. ver. societas numero 1. vbi alias illicitam esse di-
cit societatem; & apertis in l. si non fuerint. ff. pro soc. ibi: si non fuerint
partes societatis adiecta, æquas eas esse constat: & Azor. inst. mor. p. 3.
de soc. & mand. lib. 9. c. 2. in prin. vbi loquens de societate negotiationis,
dicit secundam conditionem societatis esse, ut seruetur æqualitas, ni-
mirum ut sociorum sint æqualiter communes impensa, lucra, & dam-
na; & B. lib. in l. 1. C. pro soc. Bal. cons. incip. in Christi nomine Amen lucra so-
cialia æqualiter, & Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 2. cas. 125. num. 2. vbi quan-
do simpliciter est contracta societas, partes æquales esse debere dicit, &
declarat.

Societas enim habet vinculum fraternitatis, gl. in l. fin. C. depositi, & l.
2. verum, in pri. & ibi Bart. in 1. not. ff. pro socio, Specul. de iudic. §. specialiter ad
finem, Quare sicut frater debet naturaliter procurare commodum fra-
tris, l. creditor, §. si. ff. mandati. Ita & socius commune lucrum, l. si nego-
cia, ff. de neg. gestis.

Amplia primo regulam procedere non solum quando in societate, so-
cij æquale capitale posuerunt, verum etiam quando inæquale. Nam &
tunc partes lucri & damni debere esse æqualis, iuxta scilicet quantita-
tem capitalis, voluit Azor. loco citat. vbi dicit quod quisque pro rata
portione quam in commune confert lucrum reportare, datum susti-
nere, & impensas facere debet. & tenet Oinot. in inst. de societ. in prin.
num. 1. vbi dicit quod licet is qui plus ponit in societate, siue pecunia,
siue periculi, plus lucri etiam sentiat, haec tamen dicuntur partes æquales
ratione & respectu sortis, siue ratione periculi, & industria maioris;
Nam qui de industria, & opera plus ponit, plus de fructibus percipere
debet, l. si societatem mecum, & l. quid enim, ff. pro soc. & hoc tradere vide-
tur esse de natura societatis. Armil. verb. societ. num. 1. & nu. 11. Vbi ma-
iorem utilitatem ex lucro percipit, qui maiorem posuit pecuniam, vel